

Scio tamen, σαλύζειν esse idem, atque δακρύειν, κλαυθμυρίζειν, flere, eiulare: quippe qui abhinc decem annis, et amplius, legerim adpud Hesychium: ΝΕΟΣΤΑΛΥΓΕΣ· κεκλαυθμυρισμένοι παῖδες προσφάτως, νεοδάκρυτοι.

11. Καὶ γὰρ ἔτοιμον κ. τ. λ.] Quouis pignore contendam, legendum esse, Οὐ γὰρ ἔτοιμον καταβάντι καὶ ἀναβῆναι Non enim ex eo ascendere, et emergere, itidem facile est, ac descendere facile fuit. Illud vel pueri sciunt, Facilis descensus etc.

Ode LVII. 7. Ἄγε δότε] Hoc odarion legerat Horatius, namque illud imitatus est, 1. od. 27.

Ode LVIII. 2. μήτραις] Hoc loco μήτραις sunt ταινίαι.

Ode LX. 1. Γενῆμαι] Hymnus in Dianam, seu potius illius clausula. Inuocat enim, vt ad Lethaeum fluuium veniat, ad Magnesium puto: sed quod ibi scribi θρεοκαρδίων vides, id vero perquam corruptum est. Quid enim? timidos, imbelles, et ignauos, vocet, quos laudare instituerit? mihi quidem nunquam ita videbitur, neque adeo cuiquam, si sapiat modo. Lego itaque θρασυκαρδίων, hoc est, strenuorum.

Ode LXI. Πῶλε Θρηϊκίῃ] Puellam Threissam amabat noster, vt quandam aliam eiusdem gentis Horatius, 3. od. 9, 9. f., Me nunc Thressa Chloë regit Dulces docta modos, et citharae sciens. Hoc quoque odarium imitatus est Romanae fidicen lyrae, 1. od. 23. 2. od. 5.

Fragm. IIII. ὦ παῖ, παρθέμιον βλέπων] Luculentissimum vero fragmentum. Refert Athenaeus, 13, 8. p. 605. D, dixisse olim Glyceram, pueros tanto formosiores esse, quanto feminis similiores sint.